



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quomodo dicitur homo factus propter reparationem angelici casus. I

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

factum est propter ipsum, & propter quod ipse factus est Omnia n. (vt ait Apost.) nostra sunt, scilicet superiora & equalia & inferiora. Superiora quod de nostra sunt ad perfruendum, vt Deus Trinitas. Equalia, ad continuendum, scilicet. angeli. Quia etiam nobis modo superiores sunt, in futuro erunt equalia: qui & modo nostri sunt, quia ad vsum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio, sed quia ad vsum eorum, ipsi quoque angeli in quibusdam scriptura locis nobis seruire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur.

*Quomodo
omnia no-
stra sunt.*

Ad Heb. 1. d

Quomodo dicitur aliquando in scriptura homo factus est propter reparationem angelici casus. I

DE homine quoque in scriptura interdum reperitur, quod factus sit propter reparationem angelicæ ruine, quod non est intelligendum, quia si non fuisset homo factus si non peccasset angelus: sed quia inter alias causas, scilicet. principales, hæc etiam non nulla causa exitit. Nostra ergo sunt superiora & equalia Nostra etiam sunt inferiora: quia ad seruiendum nobis facta.

Quare ita sit homo institutus vt anima sit vnita corpori. K

Solet etiam quæri cum maioris dignitatis videtur esse anima si absque corpore permansisset: cur vnita sit corpori? Ad quod primo dici potest: quia Deo voluit, & voluntatis eius, causa quærenda non est. Secundo autem potest dici, quod ideo Deus voluit eam corpori vniri, vt in humana ostenderet conditione nouum exemplum B. vnionis, quæ est inter Deum & spiritum. in qua diligitur ex toto corde, & videtur facie ad faciem. Putaret n. creatura se non posse vniri creatori suo tanta propinquitate, vt eum tota mente diligeret & cognosceret, nisi videret spiritum qui est excellentissima creatura tam infimæ, i. carni quæ de terra est, in tanta dilectione vniri, vt non valeat arctari ad hoc vt velit eam relinquere: sicut ostendit Apo-

*Prima causa.
Secunda
causa.*

*Matth. 12. d
1. ad Cor. 13.*